IN

SOLEMNI NUMISMATUM DISTRIBUTIONE

QUAE

REGII SALVATORIS LYCEI ALUMNI

IN STUDIORUM FACTO PERICULO RETULERUNT

ORATIO

JANUARII COLAMARINO

S. THEOLOGIÆ MAGISTRI

AC IN EODEM LYCEO

ELOQUENTIÆ POESEOS ET LINGUÆ GRECÆ PROFESSORIS

HABITA VII KAL. SEXT. MDCCCLIII



NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA VIRGILIANA

MDCCCLV

ORATIO

Inter tot ac tanta communis omnium inusitatae gratulationis argumenta, quae in hoc auspicatissimo die se se nobis objiciunt, illud in primis mihi laetandum jure esse video, quod Ferdinandi II regis nostri optimi, atque amantissimi munificentia, consilio vero et cura illorum praestantissimorum virorum, qui rei litterariae praepositi sunt, adolescentes ceteris in studiorum specimine antelati argenteo numismate sint decorandi. Quid enim nobilius, quid magnificentius, quid utilius fieri, aut cogitari poterat ad nostros animos in amoenioribus ac severioribus litteris addiscendis stimulandos, excitandos, inflammandos? Quid magis aptum, atque idoneum naturae hominum, qui praemiorum spe incitati ad praeclarissima quaeque audenda impelluntur? Quamobrem non sine summa laude factum est, ut Rex noster cum omnibus summis principibus, qui de litteris, artibus, ac scientiis optime meriti sunt, facillime comparandus, atque adeo illis ipsis anteponendus, inter tantas, gravissimasque Regni curas, quibus quotidie distinetur, nihil unquam disciplinarum omnium incremento, atque

hominum doctrina praestantium dignitati praevertendum existimarit. Et profecto illius prolixae, ac perpetuae in optimas artes voluntati, effusaeque in earumdem cultores liberalitati unice acceptum referimus, quod non modo in Collegiis, Lyceis, Ephebeis, atque in ipsa Studiorum Universitate illarum splendor, ac nobilitas magis, magisque in dies augeatur, verum etiam majoribus praemiis viri litterati, ac studiis doctrinisque dediti exornentur. Cum igitur aliquid in hodierna celebritate mihi dicendum sit, quod tum adolescentulorum animis ad initum studiorum curriculum alacriter decurrendum excitandis, tum Regis de nobis benemerentissimi laudibus celebrandis possit accommodari; utrumque ut videar assecutus, fore confido, si primum dixerim, quantum ratio praemiorum adolescentiores ad litterarum, artium, ac scientiarum studia persequenda queat incitare, tum nostri Principis in illis amplificandis munificentiam commendarim. Id interim vos oro, obtestorque, ut si minus vestrae expectationi satisfecerim, hoc ipsum non meae temeritati, sed ingenii mediocritati tribuatis.

Atque in primis in dubium non est revocandum, quod Aristoteles philosophorum, excepto Platone, facile princeps recte docuit, nos ita comparatos a natura, ut sciendi et cognoscendi cupiditate una cum laboris intolerantia ac toedio conjuncta afficiamur. Etsi enim hominum mores, vivendique rationem, ingeniorumque varietatem adcurate consideranti manifestum sit, quod in tanto mortalium numero non desunt, qui sponte, et quasi naturali quodam impetu ad studia, ac laborem inclinantur; fatendum tamen est, optatissimam hanc animi propensionem in admo-

dum paucis reperiri, perrarosque esse, qui se tantum donum prae ceteris assecutos possint gloriari. Contra, nescio quo pacto, pene omnibus commune est, ut laborem detrectent, ardua quaeque reformident, atque ad torporem, desidiam, ac segnitiem abripiantur. Hinc nisi animus quibusdam veluti stimulis adhibitis, ut in lethargicis fit, excutiatur, atque excitetur; otio et languori se tradet, ac per summum dedecus in ignavia marcescere non dubitabit.

Quamobrem ne, quos labores in studiis impensius excolendis subire oportet, homines exhorrescerent, quaedam incitamenta necesse fuit praebere, quibus illi alacriter excitarentur, omnemque socordiam, et animi timiditatem abjicerent. Atqui ea profecto alia esse non poterant, nisi praemia, quibus, additis quasi calcaribus, ad quaelibet praeclarissima vel magna contentione obeunda sponte impellimur et concitamur. Nam si in agendo fere eo semper intendimus, ut aliquid nobis anquiramus ac paremus, quod vel ad animi, vel ad corporis utilitatem, aut delectationem conferat, praemia litteris proposita ad hoc ipsum assequendum maxime comparata eam vim habuere, ut homines illis sibi ante oculos constitutis ad studia consectanda libentissime animum adjicerent, atque incredibiles labores vixque tolerandos haudquaquam aspernarentur.

Quod ut clarius perspiciamus, in mentem revocare fas est, quae res praemiorum loco ac nomine in primis censeantur. Hujus profecto generis sunt honores, dignitates, opes, divitiae, decora, et reliqua ornamenta, quibus viri doctrina, atque artibus praestantiores solent affici et cumulari. Sed haec nemo non videt non modo vitae commoda, atque utilitates

parere, sed etiam gloriam, ac nominis immortalitatem, quam certe sequitur animi jucunditas, comparare.

Neque vero quis haec audiendo mihi illico aliquam notam inurat, quasi velim homines aut divitiarum, aut inanis gloriolae cupiditate, aliisque rebus fluxis, et caducis ad scientiae pulcherrimum amorem inflammare. Cum enim hujusmodi bona aliis ante oculos ponimus, rationem quoque adhibendam praecipimus, qua duce justam ac debitam eorum aestimationem facere debeant, ut bonis alterius generis, quod est immortale, ac sempiternum, posthabeantur. Gloriam vero illam praedicamus, quae non est insolens ac superba, neque fumosis majorum imaginibus freta, ac potentium virorum suffragationibus collecta oculorum aciem perstringit, ac statim dilabitur; sed quae ex laboribus exantlatis in artibus ad societatis commodum provehendis, in politioribus litteris hominum mores emollientibus addiscendis, in veri abstrusioribus quaestionibus investigandis, in moralibus disciplinis ad Catholicae religionis normam exigendis, atque ab omni turpi Novatorum errore vindicandis, veluti virtutis fructus uberrimus percipitur, illorumque operum est effectrix pulcherrima, quibus de ipsa Religione, de patria, de nostris, deque omni hominum genere benemeremur.

His ita explicatis convertamus iterum orationem ad incredibilem vim praemiorum extollendam, quibus cujuslibet aetatis homines, in primisque adolescentes incensi, atque inflammati non modo laboris difficile toedium vincunt, quod est maximum impedimentum, ne litterarum curriculum alacriter arripiant, atque animosiores decurrant, verum etiam voluptates ex otio

pullulantes, in quas illi sunt cerei, ac propensi, propulsant, negligunt, despiciunt. Quis enim adolescens vel desidia diffluens, vel laboris impatiens tam hebeti est animo, ut, si recensita praemia attentius contempletur, non illis inhians sudet, algeat, vigilet, et graeca ac latina exemplaria nocturna diurnaque manu verset, historicos et grammaticos revolvat, philosophos, physicos, mathematicos, musicos, medicos, jurisperitos, ut quemque sua ars ac scientia delectat, ita investiget, et perscrutetur, ut eorum doctrinam in suum succum, ac sanguinem convertat? Quis modo honestatem sentiat, catulis, equis, vestibus, ludis, atque aleis (ne dicam lustris) nuncium non remittat? quis Ithacensis Ulyssei nequissimos socios non oderit? O vis praemiorum incomparabilis! tu adolescentes ad exhauriendos difficillimos labores impellis: tu negligentiores excitas, acuis, stimulas, eorumque animos miro studiorum amore incendis, inflammas: tu attentionem, quae ad perdiscendum in primis est necessaria, si non adest, paris, si est remissior, intendis, si aberrat, revocas, si alio dilabitur, retines, atque efficis, ut animus, quantum fieri possit, firmiter et constanter haereat in meditatione earum rerum, quarum sciendarum desiderio tenetur.

Hinc certe factum est, ut ad ea perfruenda quolibet tempore viri praestantissimi vigilias, curas, molestias, sumptus, itinera, peregrinationes, ac reliquas studiorum incommoditates vitae commodis ac jucunditatibus anteferrent. Unde enim tantus fervor in Syracusano illo Archimede, ut, cum animum intendisset formis, quas in pulvere descripserat, ne illum quidem tumultum senserit, quem in captis Syracusis militum omnia diripientium concursus ciebat? Unde

tanta sciendi cupiditas in tot sapientibus, nisi ex illa praemiorum copia, cujus gratia illi ultimas terrarum oras peragrarunt? Namque Pythagoram accepimus ad Chaldaeos in Ægyptum peregrinatum, Cretae cum Epimenide in Idaeum antrum descendisse; Platonem Cyrenen in Africa profectum, ut audiret Theodorum Mathematicum, in Italiam, ut conveniret Pythagoreos, in Ægyptum, ut adiret Sacerdotes; fertur, etiam statuisse congredi cum Magis Persarum, nisi bellorum tumultibus fuisset deterritus. Adde his Democritum, qui in Æthiopiam, in Ægyptum, in Persidem ad mare Erythraeum, in Indiam ad Gymnosophistas pertransisse traditur. Fateamur ergo, nisi in studiis tanta spes praemiorum inesset, nisi in praemiis tantae illecebrae continerentur, nunquam hos, ceterosque sapientes illam sciendi voluptatem tot peregrinationum, ac laborum quasi aliquo pretio fuisse redempturos.

Sed ut res nostris adolescentibus notiores attingam, recordamini, quaeso, Demosthenem, et Ciceronem, qui eloquentiae amplissimis, quae illa aetate huic arti proponebantur, adducti praemiis toto animi impetu ad eam assequendam incubuerunt. Alter enim non modo honestis voluptatibus caruit, verum etiam multa improba toleravit, ut et artis difficultates, et naturae impedimenta vinceret, atque in clarissimum evaderet oratorem. Alter vero quanto studio, et quanta assiduitate in graecis oratoribus, ac philosophis evolvendis fuerit versatus, ex eo facile est intelligere, quod illorum plerosque sua doctrina exaequarit, et Romanae eloquentiae princeps extiterit. Quem fugit Periclem, Themistoclem, Miltiadem ex Graecis, Marcellum, Pompejum, Caesarem ex Romanis, ut alios utriusque gentis clarissimos imperatores praetermittam,

tropaeis, laudibus, ac nominis celebritate excitatos tot ac tantas res difficillimas domi militiaeque gessisse? Veniat vobis in mentem, quam arctam, duramque vitae rationem instituerint, quot voluptatibus temperarint, quam laboriosis exercitationibus ad certamen se athletae compararint, quo facilius laureis, ac palmis, queis victores donabantur, afficerentur. Redigite in memoriam coronas civicas, castrenses, murales, obsidionales, navales, gramineas, hastas puras, vexilla aurata, phaleras, torques, armillas, cornicula, catellos, fibulas, exuvias, opima spolia, supplicationes, ovationes, triumphos iis ducibus ac militibus Romae constitutos, qui vel justa acie, et collatis signis cum hoste dimicando, vel spoliandis castris, atque urbibus fortiter expugnandis animi ac virtutis facinora fuissent ausuri.

Adeo tantam vim hujusmodi praemia habuerunt, ut ille populus orbis terrarum princeps tot bellicis, civilibusque virtutibus suum imperium tam longe lateque propagarit. Quanta igitur est praemiorum virtus in hominum animis commovendis? quam incredibilis, quam divina! illi maximae res gestae tribuuntur; illi artes pacis ac belli contigit ubique terrarum provehere atque amplificare.

Neque alia de causa Alexandri, Augustique saeculum fuit concelebratum; nisi quod illis tempestatibus amplissima cujuscumque generis praemia litteris, ac litteratis constiterint. Sed quid nimis antiqua commemoro? Nemo ignorat, cum Medicaei Principes Florentiae, Romae Leo X, Ludovicus XIV Lutetiae Parisiorum tot tantisque praemiis eximios viros prosequebantur, litteras atque artes e squalore, quo erant obsitae, ad splendorem fuisse revocatas. Quis

Friderici hujus Universitatis Conditoris, atque Magnanimi illius Alphonsi Aragonii aetates memoria repetens non illico adfirmat in nostris pulcherrimis regionibus doctrinas omnes effloruisse, eo quod doctissimi homines honoribus, muneribus, opibus, aliisque ornamentis ab illis Principibus ad strenuam operam studiis navandam excitarentur ? Quid quod , cum sub Carolo III nostri Regis Atavo praeclarissimo omnium praemiorum liberalitas in litterarum atque artium cultoribus remunerandis effulsit, et illae mirum in modum fuerunt amplificatae, et hi aeternis ingenii monumentis sese, patriamque celebrarunt? Nonne item ex praemiis per Ferdinandum I, eiusque Filium Franciscum propositis scientiarum amplitudo, artium praestantia, atque animorum perpetua et acerrima ad illas excolendas contentio fuit repetenda ? Adspicite , quaeso, quotquot hic adsunt , vel publicae rei gerendae administros , vel doctissimos Regii Gymnasii Professores , vel alios clarissimos viros aliis virtutis insignibus exornatos. Hos omnes quae alia res, nisi praemiorum ratio, quibus ipsi nunc summa animi jucunditate perfruuntur, ad penitiores disciplinas addiscendas , ac sapientiae culmen licet abruptum conscendendum impulit , atque excitavit ? O praemia beata litterarum! O maxima studiorum incitamenta! O Regis nostri in illis studiosae juventuti proponendis consilium prope divinum , nobisque praedicandum!

Jamque impetus orationis eo me abripuit , ut quanta fuerit Ferdinandi II in litteris, artibus , ac scientiis amplificandis munificentia, ad dicendum aggrederer. Profecto innumera , ac prope mira sunt , quae ab eo perpetrata summum ejusdem studium, gra-

tiam, et liberalitatem in omne doctrinarum genus testantur. Nam divina illius mens, cum satis prospexisset, quanto usui Religioni, quantae felicitati patriae, quantae gloriae ipsi Principi illarum cultus, dignitas, ac splendor foret, nihil reliquum fecit, quod ad ipsas in dies provehendas, et locupletandas conferret. Nullis enim sumptibus publicis, nullisque privatis impendiis, quo illis majus decus accederet, pepercit, ratus hujusmodi munificentiam esse vere regiam, nullamque laudem sibi fore ampliorem, quam ut inter cultissimas nationes Neapolitanum nomen jure ac merito praedicaretur.

Hinc Rex Sapientissimus, vix cum Regni gubernaculo assedit, suorum Majorum virtutes, quae domi militiaeque enituerunt, aemulatus non modo artibus belli (quas persequi alterius esset orationis) facile princeps extitit, verum etiam eo doctrinarum omnium amplificandarum amore conflagravit, ut earum fautoris nomen et gloriam sibi compararit. Et quidem nisi temporis angustiis excluderer, ea dicerem, quae ille brevi temporis lapsu perfecit, ut Collegia, Ephebea, Lycea novis disciplinis augerentur, novisque legibus atque institutis constabilita florerent. Dicerem profecto de Academiis, quas vel ipse condidit, vel conditas locupletavit. Dicerem de Bibliothecis, quas rarissimis, atque elegantissimis voluminibus exornavit. Dicerem de Regio Gymnasio, quod ita rebus omnibus apparavit, ut nihil ad illius dignitatem, auctoritatemque desiderari videretur. Dicerem de Museis, quorum magnificentia ante oculos vobis obversatur. Quae rerum appositarum supellex? quot scientiarum subsidia? Dicerem de speculis in opportunissimis locis ad jucundissimum Coeli spectaculum

contemplandum erectis. Illam vero silentio praeterire nefas esset, quam, ne celeberrimae nationes aliqua in re nobis anteirent, in edito colle ad plagam Vesuvii, quae Urbem spectat, a fundamentis inter confragosa, praeruptaque omnia aedificandam jussit, unde quae Magneti, atque Electro effecta tribuuntur, quaeque mira apparitione in sublimi aeris parte generantur, prospectu undique libero atque explicato possent explorari.

Sed revocate animos, auditores, ad memoriam earum legum, quas, ubi primum populorum seditiones pacari coeptae sint, Princeps amantissimus tulit, ut sanctiori regimine studiorum rationem in ipsis Collegiis, Ephebeis, Lyceis temperaret. Quo vero majus commodum esset perstudiosae juventuti omne doctrinarum genus edoceri, neque tamen huc ex dissitis provinciis commigraret, consilio eorum, qui publicae Institutioni praeficiuntur, nova Lycea singula Aletii, Teate, et Consentiae ipse constituit, novasque scholas secundarias alias alibi erigendas curavit. Hoc autem Regium Gymnasium novis accessionibus auxit, doctrinasque eo splendoris deduxit, ut easdem amplificare, altiusque provehere perpetuo studio, prout temporum ratio postulare videtur, quin velit, minime sit dubitandum. Denique ut ipsae disciplinae societatis, et religionis utilitati facilius inservirent, neque illarum dignitas culpa hominum perverteretur, Divum Thomam hujus Studiorum Universitatis Professorem veluti patronum praesentissimum haberi jussit, eiusque numismate honorificentissimo illius Professores clarissimos decorari.

Quid vero quod artes ipsae, quae physicis et mathematicis scientiis innituntur, per eum novum ni-

torem induerunt? Quot enim nova inventa sunt, ex quibus in societatem maxima commoda derivantur, ea Rex providentissimus in usum deducenda praescripsit, auctoresque praemiis, atque adhortationibus ad majora audenda incitavit. Hinc ad proximam Leucopetram (1) tanti Principis munificentia amplissimum aedificium erectum vidimus, in quo non modo mechanicae artes quamplures per summum commodum addiscuntur, verum etiam omnis generis machinae, ac praesertim, quae vapore pressae dicuntur, aptissime conformantur, queis currus admoti sine equis per vias ferreis laminis constratas celerrime aguntur, ac naves longae sine velis et remis concitae per adversas quoque undas impelluntur. Hinc illud opus vere regium adspeximus eo duce et auspice inceptum, profligatum, et confectum, quo in altero portu ad naves bellicas a fluctibus arcendas extructo, molibus atque aggeribus in altum projectis nova navalia ad illas subducendas, reficiendasque splendidissime fuerunt aedificata. Hinc illud recens ac pene divinum instrumentum admirati sumus, quo virtute Electri sive per planas, sive per asperas vias, sive per montes, sive per valles, sive per fluctus, noctu et interdiu quilibet animi sensus transmissi, inter remotissimas nationes, atque ut ita dicam, dissipatas, ac pluribus in locis positas incredibili celeritate communicantur.

Et quis dubitabit adhuc de tanti Principis, qui omnibus litterariae rei promovendae opportunitatibus nunquam defuit, nova et divina munificentia? Quid

---

(1) Vulgo *Pietra arsa.*

aliud majus, aut excellentius excogitari potest ad artes augendas, atque amplificandas, quod ab hoc Rege optimo ac sapientissimo factum non sit? Quid amplius desideramus, auditores? quid cupimus? quid optamus ex FERDINANDI II in litteras ac scientias liberalitate? praemia studiis proposita sunt amplissima, illorum spes nunquam laetior affulsit. Homines ingenio ac doctrina excellentiores honoribus, laudibus, praeconiis, ornamentis, ac muneribus afficiuntur, cumulantur, incitantur, inflammantur. Qua igitur benevolentia illum complectemur? Quanta gratulatione hujus diei celebritas est peragenda? O regiam munificentiam carminibus, monumentis aere perennioribus praedicandam!

Ac nisi mortalium ingratissimi existimari velimus, D. O. M. vota nuncupamus, ut FERDINANDUM II, litterarum, artium, ac scientiarum Fautorem munificentissimum diu sospitet, faxitque, ut summo ille imperio cum summo otio, pace ac securitate perfruatur.

Vos autem, adolescentes optimi, qui sub hisce faustis penetralibus ad humanitatem informamini, atque in spem patriae succrescitis, extremis orationis meae verbis, quanta possum vocis contentione, compello. Vos oro obtestorque, ut praemiorum spe incitati litteras ac disciplinas alacriori animo complectamini. Quid enim aliud illa numismata argentea sibi velint, nisi virtutis praemium, doctrinae ornamentum, ac Regis nostri amantissimi benevolentiam, qua illud a vobis petit, postulat, flagitat? Illius igitur voluntati obtemperantes, id vobis ante oculos proponite, fore ut aliquando ex vestris studiis, ac laboribus majora praemia, atque uberrimos fructus referatis.